b. Wissenschaften 11 St.

5) Religion. D. Jeep: 2 St. Erklärung der Bibel. 2 St. Pflichtenlehre nach Ziegenbein.

6) Geographie. Ders. 2 St. Europa und Asien.

7) Geschichte. Dettmer: 3 St. neuere Geschichte nach Volgers 1. Curs.

8) Naturkunde. Cunze: 2 St. nach Nicolai (von den Vögeln.)

Vor der Prüfung wird Carl Meyer aus Wolfenbüttel mit Uhlands Gedichte: Der blinde König, eine Probe von seiner Übung im Declamiren ablegen.

In der fünften Classe
mit 30 wöchentlichen Lehrstunden.
Hauptlehrer: Christian Wilhelm Emmelmann.

a. Sprachen 13 St.

1) Lateinisch. Emmelmann: 10 St. in denen in Vergleichung mit der deutschen Spr. die lat Declinationen, Conjugationen nebst den Regeln über das Geschlecht der Wörter gelehrt und eingeübt, Übersetzungen in das Lat. nach Gröbel gemacht, und aus Bröders Lat. Leseb. §§. 294 — 311. ins Deutsche übersetzt sind.

2) Deutsch. Ders. 3 St., in welchen auch Orthographie gelehrt, und Declamirübungen angestellt sind.

b. Wissenschaften 17 St.

3) Religion. Ders. 6 St., worin jedes Mal zuvörderst ein Capitel aus der Bibel gelesen, und in Hoffmanns Katechismus §§. 1—43 erklärt sind.

4) Biblische Geschichte. Cunze: 2 St., aus Lange's Handbuch die letzten Erzählungen aus dem N. T. und die erstern aus dem A. T.

5) Geographie. Dettmer: 2 St. Übersicht v. Asien u. Africa n. Volgers 1. Curs.

6) Allg. Weltgeschichte. Emmelmann: 2 St. die neuere und neueste Geschichte nach Volgers 1. Curs. §. 59 — 70. nebst kurzer Übersicht aller Perioden.

7) Naturkunde. Ders. 2 St. nach Nicolai, dessen §§. 71—129 von den Elementen und Lufterscheinungen, und §§ 1 — 42 von dem Mineral- und Gewächsreiche gelesen und erläutert sind.

8) Rechnen. Ders. 2 St. im Tafel- und 1 St. im Kopfrechnen.

Außerdem ertheilte derselbe w. in 6 Privatstunden, welche auch Schülern anderer Classen bestimmt sind, Unterricht im Schönschreiben und Rechnen. Die Probeexempel und Schreibbücher werden bei dem Examen zur geneigten Ansicht vorliegen.

Vor der Prüfung wird Carl Leiste I. mit Starke's Gedicht: die Unschuld, einen Versuch im Declamiren machen.

De Oedipi Regis fabulae argumento et compositione.

Circumspicienti mihi, quanam re mandatum examinis indicendi negotium rite exsequerer, simul juvenes nostros in optimarum artium studio adjuvarem, operae visum est mihi fore pretium, si artificiosam Oedipi Regis dispositionem, pendentem a consilio poetae, breviter exponerem. Quam enim fabulam licet hoc ipso anno cum primi ordinis discipulis perlegerim, et inter legendum hos ego semel iterumque monuerim, ne, dum singulis rebus et verbis detinerentur, egregiam ejus compositionem negligerent, vereor tamen, ut omnes, quam poeta in singulis partibus apte contexendis collocaverit artem, satis habeant perspectam. Attendant igitur et perpendant ea, quae jam de argumento et compositione Oedipi Regis tanquam in uno conspectu sum positurus, hisque perpensis iterent fabulae lectionem. Ita spero futurum, ut in poetae sensum mentemque penitius intrantes ex eo, quantum quisque per ingenii facultatem atque cultum valeat, capiant emolumenti simul et voluptatis.

Oedipum edoctum quis sit, et quae facinora perpetrarit, e summo felicitatis gradu in extremam miseriam dejici fabula, de qua agimus, ostenditur [1]). Quo *argumento* sive *miseriae* vel *originem* vel *magnitudinem*, sive *virum animi generositate excellentem et in reluctando fortem* spectaveris, haud facile aliud invenies, quod sit grandius et magis tragicum. Acerbam sane, qua non potuit acerbiorem, rerum commutationem Oedipus est perpessus. Cui enim per totam fere vitam ante actam fortuna adeo in loco obsecundarat, ut infantem jam jam periturum servaret, adultum patriae servatorem faceret, dein honore regio, opibus, civium studiis, conjuge,

---

[1]) Oedip. R. 1524 *λεύσσετ᾽ Οἰδίπους ὅδε — εἰς ὅσον κλύδωνα δεινῆς συμφορᾶς ἐλήλυθεν.* cf. argument. secund. in Wunderi edit.

liberis, ceteris bonis terrenis augeret atque ornaret, eum omnibus, ob quae sibi aliisque felix videbatur, privatum, sua ipsius manu laceratum, stimulis denique conscientiae exagitatum insigne hominibus, quam caducae sint res humanae, proposuit documentum [1]). En senem caecum, cultu atque solatio vitae privatum, dirisque devotum, qui diis et hominibus invisus, sibique ipse odium atque horror, ne patriam contaminet, in terram peregrinam concessurus viam manu pedibusque praetentat. Quid, quaeso, infelici isto infelicius potest cogitari, quid, si praeter magnitudinem *originem* quoque malorum respiciamus, ad misericordiam spectatorum movendam magis idoneum? Atrocissima quidem flagitia sunt, ob quae calamitate affligitur: occidit patrem, matrem in matrimonium duxit. At non fecit sciens, fecit invitus [2]); interemit Lajum, quem patrem, duxit Jocastam, quam matrem suam esse ignorabat. Rem paullo altius repetamus. „Lajus, cui Apollinis oraculo praedictum erat, si quem filium ex Jocasta procreasset, ab eo se occisum iri, Oedipum recens natum trajectis ferrea fibula pedibus servo cuidam per Jocastam mandavit occidendum [3]). Is vero misericordia ductus non interemit, sed Polybi servo infantem tradidit Corinthum asportandum [4]). Quo factum est, ut Oedipus a Polybo et Merope adoptatus et educatus [5]) hos parentes suos esse crederet, et convicio, se Polybo esse suppositum, ita exacerbaretur, ut Corintho Delphos abiret, de parentibus deum consultaturus. Tulit responsum, se fore patris occisorem, matris maritum, generisque detestandi auctorem. Quae ut devitaret — de Polybo enim et Merope dei effatum accipiebat — valere jussit Corinthum, et in regionem diversam fuga contendit. Frustra; nam in confiniis Boeotiae et Phocidis virum sibi ignotum ejusque comites, injuriis lacessitus, praeter unum occidit omnes [6]). Deinde Thebas profectus, soluto Sphingis aenigmate rex Thebanorum factus est et Jocastae maritus [7]).“ Quae quum ita sint, non magnopere mirandum est, si purus sceleris, legitimus Jocastae conjux et justus Thebanorum rex, dum quis sit nescit, sibi aliisque videatur, et quum palam factum est, quamvis miseria et facinoribus coopertus, magis tamen injuriis affectus, quam ipse maleficus haberi velit [8]). Quo enim dela-

---

[1]) Oedip. R. 1284 *κακῶν ὅσ' ἐστὶ πάντων ὀνόματ' οὐδέν ἐστ' ἀπόν.* [2]) Oedip. Col. 240 *ἔργα ἄκοντα.* [3]) Oed. R. 711 — 719. [4]) Oed. R. 1178 seqq. [5]) Oedip. R. 1121. seqq. [6]) Oed. R. 779 — 813. [7]) Oed. R. 1198 — 1204. Wunder. de fabula Oedipi p. 11 — 14. [8]) Oed. Col. 266 *ἐπεὶ τά γ' ἔργα μου πεπονθότ' ἐστὶ μᾶλλον, ἢ δεδρακότα.*

psus est flagitiorum, invitum externa quadam necessitate delapsum conspicimus [1]). Occidit patrem et cum matre consuevit, utpote natus, e quibus per Apollinis oraculum nefas erat nasci [2]). Hic fons est, quo derivata clades in Oedipum totamque Labdacidarum domum fluxit. Jam vides rem omnem ad fati vim atque potestatem redire, ex quo secundum communem Graecorum poetarum opinionem, jam usque ab antiquissimis temporibus ductam, res humanae suum quaeque ordinem immutabili lege percurrere, maxime vero, qui jus fasque, divinas humanasque religiones violassent, debitis poenis affici et coerceri dicebantur. Lajus enim, qui, quae in fatis erant, quanquam oraculo Apollinis significata, tamen neglexerat, et genus suum, quod dii interire volebant [3]), propagaverat, culpam violata religione contractam posteris suis ita reliquit luendam, ut in viscera sua saevientes ipsi sese ad gentis internecionem usque conficerent. Quod Laji piaculum quum jam in Oedipum redundaret, fatalem sortem, quamvis summa ope obluctaretur, non vitavit, sed quo acrius resistebat, eo citius effecit ut eveniret.

Quo quantopere Oedipi calamitas gravior sit facta, non necesse habeo, ut pluribus exponam, quoniam id malum acerbissimum esse apparet, cujus ne spem quidem declinandae ob fatalem quandam immutabilemque constitutionem nobis videmus esse relictam [4]). Inquiramus potius, ut quae de fabulae argumento habeamus dicenda, absolvantur, *qualem Oedipus, quum imperio, opibus, gloria floreret, qualemque, quum calamitas jam ingrueret, se praebuerit.* Inde facile conjici poterit, quam ejus mores ad summum tragoediae finem comparatos fuisse existimemus. Quae, quam ejus notionem Aristoteles in libro de arte poetica proponit [5]), quum eo pertineat, ut metum spectatoribus injiciat et misericordiam moveat, nescio an quisquam ejus fini magis sit aptus, quam qui levioribus quidem maculis aspersus cetera vere egregius dici queat [6]). Nam, ut omni culpa vacuum omittamus, si homo malus, stultus, ignavus calamitati succumbit, nil admodum moti ejus interitum in animi ingeniique pravitatem, vel imbecillitatem conferre solemus; sin vero virum bonum et prudentem et fortem vel ob culpam majorum, vel quod ab infirmitate

---

[1]) Oed. Col. 273 νῦν δ'οὐδὲν εἰδὼς ἱκόμην, ἵν' ἱκόμην. [2]) Oed. R. 1184. ὅστις πέφασμαι φὺς τ'αφ' ὧν οὐ χρῆν. [3]) Oed. R. 711—714. cf. Aeschyl. c. Theb. 742 — 753 ed. Blomf. Euripid. Phoen. 21. Apollod. 3, 5, 7. [4]) Hermann. ad Philoct. praef. p. XII. [5]) Aristol. de art. poet. c. 13 et 27 cf. Lessing. Hamb. Dramaturg. Nr. LXXIV. seqq. [6]) Aristol. l. l. c. 25. Lessing. l. l. LXXXII.

naturae suae non satis cautus humani aliquid admiserit, tempestate necopinata oppressum videmus, moniti de rerum nostrarum inconstantia, eo magis metu et commiseratione obrepimur, quo minus viro illi afflicto exaequare nos audemus. Magna igitur ars poetae in eo cernitur, quod quaecunque virum regemque decent, iis Oedipum insignem, neque tamen ab omnibus partibus absolutum et prorsus labe immunem esse voluerit. Introduxit eum sollertem atque impigrum, qui quae opus essent celeriter inveniret, inventaque strenue exsequeretur, probitatis et justitiae tenacem, sollicitum aeque de civitatis salute, ac rectae ad eam viae peritum, constantem denique et fortem in rebus adversis. Quod multi voluerunt, nullus potuit, Oedipus acumine ingenii effecit, ut soluto aenigmate urbem a Sphingis vexationibus liberaret [1]). Deinde rex factus, republica non ad suam, sed ad communem utilitatem administrata [2]), adeo civium animos sibi conciliavit, ut in eo solo spem certam salutis repositam haberent [3]). Quam, quantum in ipso erat situm, non fefellit. Neque enim, quum multis annis, postquam rex erat factus, urbem gravi morbo devastari videret, quaesivit quomodo ipse se servaret, sed unde civibus suis, liberorum instar dilectis [4]), praesidio esse posset. De quo simulac oraculo certior est factus, causam malorum Laji esse caedem [5]), eaque vindicata urbem respiraturam, percussorem diris devotum omni modo investigandum curavit, ut poenam ab eo repeteret scelusque expiaret [6]); neque tunc quidem, quod summum habemus justitiae et constantiae documentum, ab investigatione recessit, quum se ipsum occisorem deprehensum iri animo praesagiret [7]). Quid, quod quum palam esset factum, a se Lajum esse interfectum, non recusavit, quo minus, quae inscius in se ac suum caput imprecatus erat, mala subiret atque perferret. Talem igitur virum, tam egregiis virtutibus praeditum quum in crimen periculumque vocari viderent spectatores, non poterant, quin metu, quamdiu malum immineret, quumque adesset, misericordia moverentur. Ecquem enim tam ferreum fuisse putemus, ut quem animi ingeniique dotibus excellentem et de patria optime meritum cognovisset, eum non doleret miserrimum fieri? Certe non eum, qui homo natus nihil humani a se alienum esse voluerit. Multo magis timendum est, ne quis sibi persuadeat, Oedipum inexo-

---

[1]) Oed. R. **391 — 398** *ἔπαυσά νιν γνώμῃ κυρήσας*. [2]) Oed. R. **62 — 69.** [3]) Oed. R. **46.** [4]) Oed. R. **1** *ὦ τέκνα* **58** *ὦ παῖδες* cf. **93. 94.** [5]) Oed. R. **96 — 98.** [6]) Oed. R. **236.** [7]) Oed. R. **1170** *κἄγωγ' ἀκούειν, ἀλλ' ὅμως ἀκουστέον* cf. **1076.**

rabili lege constrictum et libero cogitandi agendique arbitrio privatum prorsus insontem poenas dedisse, et fatum non severe modo, sed injuste fecisse. Quae opinio, si quis eam conciperet, longe ab ea fati notione recederet, quam veteres animis informatam habebant. Licet enim quaecunque fierent, fato fieri dicerent, tamen in definienda ejus vi ac potestate sibi non constare, quam animos quoque fato devincire malebant. Hos tantum aberat ut a fatali necessitate suspenderent, ut ad eorum motus, quos voluntarios esse sentiebant, externam causam non requirerent [1]), sed consiliis rerum gerendarum in libero hominis arbitrio positis eventum solum consiliorum ab aeterna immutabilique constitutione derivarent. Neque magis fatum injustitiae insimulare audebant. Sive enim ipsos deos ita fati lege obstringebant, ut hi, quae lex ista ferret, etiam inviti velle et efficere deberent, sive fatum ita deorum potestati permittebant, ut quam ipsi scripsissent rerum humanarum divinarumque legem, sua vi sustinerent et volentes sequerentur, omnes consentiebant, male injusteque facta ut in deos, ita in fatum conferre esse nefas [2]). Fati igitur sortem justam aeque, atque inviolabilem esse persuasi, fatalem poenam nisi a scelestis non repeti existimabant. Scelestos vero fatalique poena dignos non eos solos habebant, qui ipsi scientesque jus fasque violarant, eoque deorum iram excitarant, sed hos quoque, quorum majores graviore scelere culpam contraxerant. Pervulgata enim apud veteres opinio fuit, eaque tragicorum consensu comprobata, poenam eorum, quae majores deliquerint, ad posteros pertinere [3]). Sic, ut alios omittam, Horatius mala bellorum civilium inde a parricidio Romuli [4]), et Virgilius longius etiam progressus a Laomedontis perjurio repetit [5]). Quam tamen acerbam rudioris aetatis opinionem ita mitigatam voluerunt, ut eos tantum majorum culpam luere censerent, qui quasi occaecati, novam ex vetere serentes culpam suis vitiis, etiamsi levioribus et poenae imparibus, tamen tanquam ansas infortunio dedissent [6]). Sophocles igitur, cui ante omnia id erat cavendum, ne fatum, quamvis graviter inveheretur, injustum esset dicendum, miseram, quam expositurus erat, viri calamitatem non ex sola parentum culpa duxit, sed etiam ipsum Oedipum crimini obnoxium ostendit.

---

[1]) Cic. de fato c. 11. [2]) Oed. R. 863 seqq. [3]) Mitscherlich ad Horat. Carm. 1, 28, 30. [4]) Horat. epod. 7. 14. [5]) Virg. Ge. 1, 501. [6]) Oed. Col. 369 – 72 Filios Oedipi, qui reputantes *τὴν πάλαι γένους φϑοράν* aliquamdiu concordarant, incessit deinde contentio mala *ἐκ ϑεῶν του κἀξ ἀλιτηροῦ φρενός* cf. Oed. R 1299

Viro enim cetera egregio animum iracundum, suspicacem et superbum addidit, quibus vitiis ille fatalem sibi miseriam acceleraret augeretque. Iracundia exarsus hominem, quem quidem Lajum esse nesciebat, ejusque comites occidit [1]). Cujus caede quum fatum quasi provocasset, eadem deinde iracundia et ad suspicandum proclivitate effecit, ut quaecunque ad miseriam sibi instantem avertendam moliretur, secus caderent, ac voluerat. Nam Tiresiam vatem [2]) et Creontem, uxoris fratrem [3]), in suspicionem semel vocatos, quo erat animo irato, per falsa crimina et contumelias minasque superbe ingestas permovit, ut ad suspicionem a se amovendam facinora, quae inscius perpetrasset, detegere festinarent. Quid, quod ne a diis quidem suspicionem suam atque insolentiam cohibere sustinuit; nam ita Jocastae oraculorum vanitatem jactitanti indulsit, ut ab ea sibi imponi passus, de deorum fide subdubitaret, eorumque sortes tanquam inanes aliquamdiu sperneret et pro nihilo haberet [4]). Denique quum nec Apollinem, nec Tiresiam mentitos esse cognovisset, iracundiam in semet ipsum vertit, ab eaque abreptus parum habuit, poenas Laji occisori constitutas luisse, nisi oculos sibi ultro effodisset [5]). Quis non videt, haec egregie ita a Sophocle esse instituta, ut nihil eorum desideraretur, quae ad gravem tragoediae finem requiruntur. Nam quum Oedipus ob majorum piaculum miseriae destinatus non sine sua culpa in perniciem ruat, suspensi inter spem metumque virum tot tantisque virtutibus insignem in periculo versari, et cum summo nostro dolore calamitate afflictum videmus, neque ex veterum quidem cogitandi sentiendique ratione fatum, quod fecerit injuste, incusare possumus.

Sed quoniam argumentum, quam ad metum et miserationem movendam sit idoneum, exposuimus, reliquum est, ut *de compositione fabulae et singulis ejus partibus* dicamus, quae e re videantur esse. Tota fabula ad fatalem domus Labdacidarum interitum pertinet. Prioribus oraculis ab Apolline editis, quorum unum *a filio Lajum occisum iri*, alterum vero *Oedipum patris occisorem fore* significavit, additur tertium, *pestem*, quae, quo tem-

---

[1]) Oed. R. 807. *παίω δι᾽ ὀργῆς.* [2]) Oed. R. **345** seqq. *καὶ μὴν παρήσω γ᾽οὐδὲν, ὡς ὀργῆς ἔχω, ἅπερ ξυνίημ᾽. ἴσθι γὰρ δοκῶν ἐμοὶ καὶ ξυμφυτεῦσαι τ᾽οὔργον.* [3]) Oed. R. **534** *φονεὺς ὢν τοῦδε τἀνδρὸς ἐμφανῶς λῃστής τ᾽εναργὴς τῆς ἐμῆς τυραννιδὸς* seqq. cf. **1420.** [4]) Oed. R. **859. 964** seqq. cf. **863 – 910.** [5]) Oed. R. **1269 — 79** cf. Oed. Col. **438. 39.** *κἀμάνθανον τὸν θυμὸν ἐκδραμόντα μοι μείζω κολαστὴν τῶν πρὶν ἡμαρτημένων.*

pore fabula initium capit, Thebis grassatur, *ultione a Laji percussore petenda lui debere.* Ex hoc oraculo quum, quaecunque aguntur, omnia ducantur atque pendeant, sequitur singulas fabulae partes in Laji percussore investigando puniendoque versari. Sunt vero hae:

1) oraculum, Laji occisorem, qui Thebis versetur, aut ex urbe ejiciendum, aut interficiendum esse

a, ab Apolline editur, — 150

b, a Tiresia vate ad Oedipum tanquam Laji occisorem refertur. 216 — 463

2) Haec oraculi interpretatio

a, cum mutuo inter Oedipum et Jocastam colloquio, 513 — 862

b, tum iis probatur, quae nuntius Corinthius perfert, et Laji servus confirmat. 911 — 1185

3) Denique oraculum ab Apolline editum, a Tiresia explicatum et multarum rerum concursu probatum in summam Oedipi miseriam evadit. 1223 — 1350

Quarum partium quoniam prima et secunda id spectant, ut Lajum ab Oedipo occisum esse appareat, tertia vero gravem Oedipi miseriam, quum se Laji et filium et occisorem esse cognoverit, ante oculos ponat, illae maxime ad metum, haec ad misericordiam movendam comparatae sunt. A metu igitur sensim ad miserationem Oedipi traducimur; quippe quem, quemadmodum timere desinimus, sic miserari incipimus. Accedit, quod singula quaeque, sive ad metum, sive ad misericordiam pertinent, ita a poeta instituta sunt, ut dum nihil inepte interponit, nihil temere omittit, remque, quam agit, magis magisque intendit, nos quo vult incitatiores semper pervehit. Haec causa est, cur in duabus illis partibus prioribus, dum oraculum editur, explicatur, probatur, quo propius ad finem propositum accedamus, eo acriori metu percellamur. In quo id quoque non levis momenti et eximiae artis documentum esse puto, quod quaecunque vel ab Oedipo, vel ab aliis ad animum ejus sollicitudine liberandum tentantur, in contrarium cedunt. Oedipus ipse oraculum, quum cives laborarent, ab Apolline petitum atque editum Tiresiam explicare jubet, ab eoque Laji occisor, qui ex urbe debeat expelli, declaratur. Tum Jocastae, ut vatum fidem elevet, atque ista oraculi interpretatione anxium omni cura liberet, ea ipsa profert, quibus, quam levare studet, mariti sollicitudinem aggravat, vatumque auctoritatem confirmat et auget [1]). Quod Jocastae,

---

[1]) Oed. R. 707 — 725 ib. Wunder.

idem nuntio Corinthio accidit; qui quum, tanquam laetum aliquid allaturus, metumque circa matrem ademturus Oedipo quis esset ostendisset, contrarium ejus, quod voluerat, effecit [1]). Ita spe semper, si qua res laetior affulgeret, delusi, et a minori ad majorem formidinem delati, Oedipi denique, quae est tertia fabulae pars, miseriam cognoscimus. Neque hac in parte praecipiti quasi saltu in medias res immittimur. Audimus primum Jocastam prae timore vitam suspendio finisse, deinde Oedipum, cognito quis esset, quaeque facinora inscius perpetrasset, oculos sibi effodisse; tum demum miserum senem, luminibus orbatum, dirisque, quibus ipse se devovit, exagitatum in scenam prodire videmus. Quo fit ut nullo in loco remissiores, sicut antea formidine, ita nunc misericordia semper majori ad finem usque afficiamur. Singularis praeterea poetae ars in eo posita est, quod, quae fabulam tempore antecedunt, eamque praeparant, oracula Apollinis, Laji caedem, priorem Oedipi sortem, Thebarum, quum pestis ingruerit, calamitatem non prologo, quae est Euripidis consuetudo [2]), enarrat, sed singulis colloquiis suo quaeque loco ita inserit, ut continuationem seriemque rerum non interrumpant, sed sua sponte enata esse videantur. His de tripartita fabulae divisione in universum praemissis, singulas partes perlustremus. Quarum quum prior et altera in binas quaeque dividantur, quinque fabulae partes, choris interpositis sejunctas, quantum per spatii angustias licet, accuratius habemus spectandas. In quo id prae ceteris agimus, ut rerum ac sententiarum, quas continent, tantummodo summas attingentes, quomodo inter se cohaereant, ostendamus.

Pars I. *Oraculo ab Apolline edito pestem, qua Thebae premantur, ultione a Laji occisore petenda luendam esse, significatur, v.* 1 — 150.

1) *Colloquuntur inter se Oedipus et sacerdos Jovis: oraculo ab Apolline petito causam pestis, et qua ratione lui possit, optime se sciscitaturos esse censent.* 1—84. Sacerdotes cum pueris juvenibusque dum reliqua multitudo squalore et luctu plena in foro auxilium Minervae atque Apollinis implorat, in ara ante regiam domum posita consident, ab Oedipo expetituri, ut urbi gravissima peste laboranti succurrat. Hunc prae ceteris adeunt, quoniam communem calamitatem ad regem maxime pertinere, eun-

---

[1]) Oed. R. 1003 seqq. cf. Aristol. d. a. poet. c. 21. [2]) cf. Reisig enarrat. Oedip. Col. p. XVI. Aristophan. Ran. v. 1200 seqq. ed. Hoepfner.

demque, quod olim civitatem a Sphingis vexationibus liberarit, in malis avertendis consilio valere putant. Neque opinio eos fefellit. Oedipum enim de urbis salute sollicitum, quod unum calamitati invenerat remedium, adhibuisse, Creontemque, ut Apollinem consuleret, Delphos misisse cognoscunt. Hac igitur fabulae parte res Thebanorum afflictae exponuntur, simulque Apollinis oraculum praeparatur.

2) *Colloquentibus supervenit Creon. Oraculum proponitur.* 84 — 150.

Creon dei responso, urbem ita respiraturam, si Laji occisor, qui Thebis versetur, aut urbe pellatur, aut interficiatur, relato, deinde addit, quae Oedipo ignota vulgo de Laji nece ferebantur: eum ad consulendum oraculum profectum in itinere a pluribus latronibus [1]) interemtum esse. Quibus cognitis se Oedipus urbis simul divinique oraculi vindicem fore promittit, et supplicibus abire jussis proceres Thebanos arcessit. Tum *Chorus* (151 — 215), qui proceribus illis constat [2]), in scenam ingressus intervallum inter primam et alteram fabulae partem cantu explet. Percontatus quale oraculum editum sit, (— 158) Minervam, Artemin et Apollinem invocat, ut si unquam, nunc quoque praesentes opem ferant (— 166); gravi enim morbo urbem laborare atque confici (— 178); quem ut depellere velint, a Minerva, Jove, Apolline, Artemide et Baccho enixe petit (— 215).

Pars II. *Tiresias vates oraculum Apollinis de Oedipo accipiendum esse dicit* 216 — 463. Quum Laji occisorem puniendum, non quis sit, oraculo significetur, et ad eum inveniendum non sufficiant ea, quae de Laji caede constant, necesse est, ut, qui hac de re aliquid sciant, evocentur et oraculi sensus obscurior a vate aperiatur. Inde oriuntur actiones, quae sequuntur.

1) *Oedipus et Chorus consentiunt, oraculum a vate explicari debere* — 299. Oedipus Chorum, qui partes populi agit, quae de Laji caede comperta habeat, proferre jubet, et acerba occultatori receptatorique sceleris poena constituta precatur, ut parricida malus male pereat. Chorus affirmat, se nec caedem perpetrasse, nec quicquam hac de re scire, nisi quod Lajus a viatoribus quibusdam interfectus esse dicatur; suadere vero, ut quae deus celarit, a Tiresia vate exquirantur. Quem Oedipus jam Creontis hortatu arcessendum curaverat.

2) *Tiresias adductus coram Oedipo et Choro oraculum ita inter-*

---

[1]) cf. Wund. ad Oed. R. 122. [2]) cf. Musgrav. ad Oed. R. 142 in Herm. edit. p. 39.

pretatur, ut Oedipum Laji occisorem esse dicat. — 462. Tiresias aegre, nec nisi contumeliis sibi illatis lacessitus Oedipum Laji occisorem esse pronuntiat, eundemque patris Laji occisorem cum matre inscium consuescere obscurius, quam ut intelligant praesentes, significat [1]). Quo ille exacerbatus minas et criminationes gravissimas in Tiresiam et Creontem simul confert; ob quae Tiresias iratus ab irato discedit, Creon vero haud multo post sese purgaturus in scenam prodit.

Chorus in fine secundae partis profitetur, se quidem persuasissimum habere, Apollinis oraculum in parricidae perniciem evasurum esse (— 482), dubitare vero suspensum inter spem metumque de horrendis Tiresiae criminibus in Oedipum collatis (— 496), neque prius accusanti assensurum esse, quam dicta eventu viderit comprobata (— 512).

Vel non monente me apparet, omnes prioris et secundae partis actiones cum quodam lepore consentire. Utraque enim pars ad oraculum pertinet; quod in prima datur, in altera explicatur. Adde, quod utraque binas actiones continet, quarum prior quaeque alteri utpote principali viam quasi munit. Quae vero sequuntur pars tertia et quarta, eam ob causam adduntur, ut interpretationi oraculi a Tiresia prolatae, quam Oedipus criminosam, nec ipse Chorus veram esse putat, fides concilietur.

Pars. III. *Oedipus cum Jocasta de caede Laji collocutus nec Apollinem, nec Tiresiam mentitos esse animo praesagit* 513 — 862.

1) *Creon Choro* declarat, se falsas ab Oedipo in se absentem allatas criminationes repulsurum — 531.

2) *Ad hos Oedipus accedit. Oritur altercatio inter eum et Creontem.* — 633. Oedipus iterat criminationem, Creontem cum Tiresia de suo interitu conspirasse, quoniam vatem arcessendum esse primus judicarit, hic vero antea, quum de Laji caede quaesitum sit, ad silentium obstinatus, nunc se occisorem esse dicat. Neque quae Creon contra monet, quamvis Choro probentur, quidquam ad regem placandum valent.

3) *Jocasta perturbatos animorum motus cohibitura rixantibus supervenit* — 677. Quos quum monuerit, ne communem calamitatem privatis augeant jurgiis, una cum Choro Oedipum hortatur, ut Creontem jure jurando, se nil mali moliri, obstrictum ne proditorem habeat, neve ob incertam suspi-

---

[1]) cf. Hermann. ad Oed. R. 425.

cionem vel exsilio vel morte afficere velit. A quibus ille permotus iram quidem non plane remittit, at inultum tamen Creontem abire patitur. — Hac in parte tota fere fabulae ratio, quae adhuc servata est, invertitur. Nam Oedipus, qui antea inveniendo Laji percussori operam dedit, eo se simul imperium suum ab omni impetu tutum praestiturum ratus, rem male et in suam perniciem evasuram esse animo praesentit, ex quo Creontem impunitum dimisit. Id inde recte mihi colligere videor, quod Creontem Choro condonare se dicit, etiamsi ipsum funditus perire oporteat [1]). Quo fit ut irae ejus paulatim defervescenti ominosus maeror, raro tantum exigua spe interruptus, succedat, nosque jam non sine quadam commiseratione viro timere sinat. Ad quam vehementiorem animorum perturbationem incitatiores numeros, quibus Chorus in hoc et sequenti colloquio utitur, bene comparatos esse apparet.

4) *Oedipo coram Choro cum Jocasta colloquenti verisimile fit, Tiresiam reconditum oraculi sensum simpliciter esse interpretatum, seque revera Lajum interfecisse.* — 862. Jocasta, ubi cognovit, Oedipum cum Creonte altercari, quia Tiresiam, ut se Laji occisorem esse diceret, ab illo subornatum credat, id agit, ut vatibus omnem auctoritatem adimat, eoque consilio oraculum Apollinis, Lajum a filio occisum iri, ex sua opinione non expletum profert. Quod quum Oedipus cum alio sibi edito, se patris interfectorem fore, compararet, et praeterea, quae Jocasta de Lajo ejusque caede referret, nisi quod a pluribus interemtus esse diceretur, omnia cum iis concinere videret, quae sibi olim Corinthum, Polybum et Meropen, patriam simul et parentes ob oraculi sortem devitanti acciderant (cf. p. 2), repentino timore occupatus, ne revera Lajum occiderit, animo suspenso et sollicito servum istum, qui solus e Laji comitibus mortem effugerat, arcessi jussit, ut per eum certior fieret, num Lajus a pluribus, an ab uno occisus esset. Jam vero *Chorus* indignatus insolentia, qua Oedipus Creontem et Tiresiam tractavit, et Jocasta vaticinia contemsit, nihil se, ait, antiquius habere, quam ut leges divinas dictis factisque sanctissime colat (— 871); eas enim qui superbe transcendat, semet ipsum et patriae salutem perdere (— 881). Quodsi talis impietas probetur, non opus esse cultu et reverentia deorum (— 896), seque haud amplius venerabundum sancta Apollinis templa aditurum, nisi Jupiter oracula Labdacidis edita vera esse ostendat (— 910).

---

[1]) Oed. R. 669. κεἰ χρή με παντελῶς θανεῖν.

Pars IV. *Oedipus cum Jocasta et Apollinem et Tiresiam vera dixisse intelligit.* 911 — 1185.

1) *Jocastae Choroque nuntius Corinthius supervenit* 911 — 949. Ad Chorum et Jocastam, quae Apollinem implorat, ut prosperam malorum det solutionem, nuntius Corintho accedit, cives Polybo mortuo Oedipum regem esse creaturos indicans. Hoc nuntio opus erat, ut adesset aliquis, qui Oedipum non Polybi, sed Laji filium esse testaretur.

2) *Oedipum Laji filium et occisorem esse nuntii Corinthii verbis Jocastae, neque tamen Oedipo Choroque persuadetur.* — 1072. Corinthius repetitis, quae de morte Polybi nuntiavit, ut Oedipum de patre jam securum, etiam metu circa matrem liberet, deinde addit, Meropen non magis ejus esse matrem, quam Polybus fuerit pater: se enim eum pedibus perforatum in Cithaeronis saltibus a quodam Laji servo accepisse et Polybo tradidisse. His relatis Jocastae persuadetur, Oedipum Laji esse et filium et percussorem. Monet igitur, ne verba nuntii, si qua sibi vitae suae sit cura, respiciat, neve servum istum arcessere et audire velit. Quod quum frustra fecerit — Oedipus enim se ab inquisitione generis sui recessurum negat — angoribus animi agitata aufugit.

3) *Stupent Oedipus Chorusque, cur tam graviter perturbata proruperit ignari.* — 1109. Oedipus propositi tenax, se ait, dum genus suum rescierit, non recusaturum, quae instent, perpeti. Chorus vero, ut in extremo rerum discrimine, acerbam suam futurorum exspectationem in numeros fervidiores effundit, anxie quaerens, quosnam deorum dearumque Oedipi in Cithaerone inventi parentes sit cogniturus.

4) *Nuntio Corinthio et Laji servo testibus ita manifestum fit, Oedipum, Laji patris occisorem, matrem in matrimonium duxisse, ut nec ipsi, nec Choro ulla dubitatio relinquatur.* 1110 — 1185. Ut Oedipus parricidii et nefarii cum matre conjugii coarguatur, servus, qui eum Corinthio olim tradidit, et in Laji caede mortem solus effugit, in scenam producitur. Qui quum multis et variis interrogationibus perturbatus aeque, ac territus minis, tandem confessus esset, se Laji filium, quem ab Jocasta accepisset interficiendum, Corinthio in patriam suam secum auferendum tradidisse, Oedipus haud amplius dubitat, quin natus, e quibus non oportuerit, cum matre turpiter consueverit, et patrem interfecerit.

Chorus deinde se neminem mortalium felicem habiturum declarat

(1186 — 96), quoniam Oedipum, quem, utpote patriae praesidium atque decus, omnium felicissimum habuerit (— 1203), nunc ita videat miserum, ut nunquam vidisse eum optare debeat (— 1222).

Tertiam quoque et quartam fabulae partem ita poetam adornasse, ut non minus egregie, quam prima et altera, inter se conveniant, verbo monuisse satis habeo. Utraque versatur in probanda oraculi interpretatione, quam Tiresias proposuit. Quod ita fit, ut in tertia parte Lajum ab Oedipo interfectum esse verisimile reddatur, in quarta vero Lajum ab Oedipo filio interfectum esse primum Jocastae per nuntium Corinthium, deinde ipsi Oedipo per Laji servum persuadeatur. Neque negligendum esse puto, singulis partibus quatuor contineri colloquia; quorum primum et tertium levioris sunt momenti atque ejusmodi, ut secundum et quartum praeparent.

Pars V. *Oraculum Apollinis in summam Oedipi miseriam evadit.* 1223 — 1350. Quum jam apud omnes constet, Lajum ab Oedipo esse occisum, opus est, quo fabula absolvatur, diras, quas percussori Laji ex Apollinis oraculo Oedipus imprecatus est, in hunc ipsum recidere.

1) *Quae mala Jocasta et Oedipus sibi consciverint, Choro ab internuntio referuntur.* — 1296. Internuntius Choro narrat, Jocastam, ut intra domum se abripuerit, suspendio vitam finisse; Oedipum deinde effractis foribus in cubiculum irruisse, et quum pendentem conspexerit mulierem, inter lamentationes aureis ejus fibulis oculos sibi effodisse. Admireris sane in talibus veterum tragicorum pulchri sensum, qui, quoniam horrenda et aspectu foeda audiri, quam cerni maluerint, ea quam longissime ab oculis removeant, et per internutios edoceant. cf. Lobeck ad Soph. Ajac. 814.

2) *Oedipus miser Choro in conspectum datur.* — 1418. In scenam productus, ut ejus miseria, si non solum auribus acciperetur, sed etiam oculis cerneretur, quantam maximam posset misericordiam moveret, sibi melius fuisse lamentatur, non nasci, aut recens natum interire, quam doloris aeque, ac conscientiae stimulis percussum, amicis simul maeroris esse causam. In quo quum Chori tulerit assensum, quoniam non vivere, quam caecum vivere praestet, oculis carere ait, gratam rem esse, cui nihil superfuerit, quod visu sit suave, quin etiam magnopere petit, ut se vel in locum, ubi non amplius conspiciatur, abjiciant, vel occidant. Ceterum in hoc quoque colloquio et Oedipus et Chorus summam animorum commotionem gravioribus, quibus utuntur, numeris significant.

3) *Oedipus Creontem supervenientem placare studet et, quae antiquissima habet, vehementer rogat.* — 1523. Quae desiderantur adhuc, adjiciuntur. Oedipus cum Creonte in gratiam redit, eumque adhortatur, ut se patria ejiciat, Jocastae sepulchrum faciat et filiarum curam habeat. Quas Oedipus, ut voluit, admissas commiseratur et Creontis fidei iterum commendatas patre feliciores esse optat. A Creonte deinde in spem adductus, fore, ut mox e patria pellatur, filias quamvis invitus dimittit, et in domum se abduci patitur.

Chorus in fine fabulae, dum secum reputat, quem virum ex quanta felicitate in quantam miseriam viderit dejectum, fragilitate rerum humarum tam graviter commovetur, ut neminem mortalium, ante quam obierit, beatum praedicandum contendat. — 1530.
